



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. IV. Mens Divi Thomæ aperitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

notat; vis enim moralis, cum sit merum ens rationis, non potest, nisi absurdè & ineptè, dici combibi in aqua, vel in ea inhiberi: Sed ex Terulliano citato, aqua Baptismi virtutem sanificandi combibunt in semetipsis: Ergo in aquis Baptismi virtutem instrumentalem physicam productivam gratiae agnovit.

47 Secundo, ex eodem Authore, sicut ex aquis naturalibus pisces generantur, ita & ex aquis Baptismi homines spiritualiter regenerantur: Sed aqua naturales concurrunt physicè ad generationem piscium; Ergo & aqua Baptismi ad regenerationem fidelium.

48 Tertio, ex Leone, Chrysostomo, Cyrillo, & Niseno citatis, Baptisma se habet ad instar uteri virginis ex quo natus est Christus; ad instar matris seu vulvae in qua homo concipitur: ad instar feminis ex quo generatur; & ad instar aquae ferventis, quae ab igne calefacta, non minus nitit, quam ipse ignis: At certum est concursum Virginis ad partum Christi, fuisse physicum, vulvam in qua homo concipitur, physicè ad ejus conceptionem concurrere; semen ex quo generatur, esse instrumentum physicum, & physicè concurrere ad ejus generationem; & denique aquam ferventem, & ab igne calefactam, physicè in calefactionem influere: Ergo pariter juxta illos SS. Patres, causalitas novae legis tribuenda est.

49 Demum si sacramenta moraliter tantum concurrerent ad gratiae productionem, & hominum sanctificationem, & essent solum (ut docent Adversarii) veluti chirographa, quae Deum moraliter moverent & excitarent ad gratiam conferendam, absurda profus ac inepta, & quasi puerilis esset, celebris illa Augustini exclamatio, & admiratio: *Qua est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat!* hoc enim commune & usitatum est apud homines, ut in virtute chirographi, vel sigilli regii, in cera impressi, & aliorum signorum sensibilem, conferantur officia, dignitates, pecuniae, & aliae res magni momenti. Unde si quis in hanc admirationem & exclamationem erumperet, *Qua est tanta virtus chirographi, ut ad exhibitionem ejus, statim numerentur pecuniae!* *Qua est tanta virtus monetarum, ut tradita mercatori, statim det ea quae vendidit!* *Qua est tanta virtus hederarum, ut ad fores appensa, statim vendatur vinum!* merito irrideretur ab hominibus: ita pariter si sacramenta solum moraliter ad gratiae productionem concurrant, irritoria erit haec Augustini admiratio: *Qua est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat!*

50 Haec omnia confirmari & illustrari possunt ex Catechismo Romano, jussu Pii V. edito, & in pluribus Conciliis Provincialibus in Gallia celebratis recepto: in eo enim parte 2. Symboli capitulum 1. quæst. 18. hæc verba leguntur: *Quo pacto tanta res & tam admirabile, per sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat, & cor abluat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendere non potest; constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem, suapte natura ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat: at fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem sacramentis inesse, quae id efficiant quod sua vi res ipsae naturales præstare non possunt. Quibus verbis in primis clarissime exprimitur efficientia realis & physica sacramentorum. Secundò*

A declaratur hanc sententiam non esse rejiciendam ex eo quod non ita facile percipitur, alià quæ causalitatem duntaxat morale tribuit. Tertio, ad hoc probandum adducitur lebreum illum locum Augustini: *Qua est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat!* Denique rationem reddens quare hæc efficientia & causalitas sacramentorum, lumine naturali non ita facile possit intelligi, dicit hoc idcirco esse, quia nullas res sensibiles sua natura, ea vi præditas esse, ut penetrare ad animam queat: quæ ratio (ut evidens est) solum valet de instrumento physico, cum instrumenta moralia nullo modo debeant contingere subiectum in quo effectus causa spiritualis producitur.

S. IV.

Mens Divi Thomae aperitur.

Incet superfluum videatur mentem S. Doctoris in hujus difficultatis resolutione investigare, nam ita clarè & perspicuè pluribus in locis causalitatem & efficientiam physicam in sacramentis novae legis agnoscit, ut de hoc dubitare, sit tenebras soli ostendere, & ut ajunt, in medio cecidit. Quia tamen Vazquez, Coninch, & Delugo, S. Thomam in suam conantur pertrahere sententiam, & novissimè Augustinus Bernal, ejusdem Societatis Theologus, dicit, de sacramentis sect. 4. §. 2. ait quod *influxum physicum sacramentorum assertio, inquit S. Thomas, in eam rem, pluribus attribuit, & hujus positionis assertores, ignorantes, ineptos Philosophos, summe stupidos, & incredibiles ositantia Authores, appellat, ut clarè pateat, quantum Author ille verbis illis excellat, & quantum in doctrina D. Thomae novius sit ac peregrinus, operæ pretium existimavi, variis ac evidentissimis demonstrationibus arguere, S. Doctorem stare pro nostra sententia, & causalitatem physicam in sacramentis novae legis manifestè docere.*

D In primis ergo manifestum est, secutum esse instrumentum physicum ad faciendum effectum: Sed expresse docet S. Thomas hic art. 1. in corp. sacramenta novae legis eodem modo causare gratiam, quo securus facit ledum, ut enim: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suam formam, sed solum per motum quo movetur a principali agente, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut ledus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis; & hoc modo sacramenta novae legis GRATIAM CAUSANT.* Ergo juxta D. Thomam, sacramenta novae legis instrumentally physicè causant gratiam.

Secundò, Idem S. Doctor ibidem in sol. ad 2. docet sacramenta novae legis ex illis instrumentis esse, quæ duas habent actiones, unam propriam, & aliam instrumentalem, & hæc per illam efficiunt, qualem dicit esse securus respectu ledi: At hæc instrumenta sunt physica, ut convincit non solum exemplum securis, sed etiam doctrina ejusdem Doctoris Angelici capite quæst. 45. art. 5. ubi instrumenta quæ duas actiones habent, negat posse esse instrumenta creationis, cum tamen constet creaturam ad creandum, moraliter posse concurrere, cum creationem alicujus rei potest homo meteci, ut inquit, et are a Deo: Ergo juxta sanctum Thomam, sacramenta novae legis sunt physica instrumenta gratiae.

Tertio

Tertio, D. Thomas art. 3. huius questionis, docet quod gratia est in sacramento, secundum quandam instrumentalem virtutem, quae est fluens & incompleta, & quam locis art. sequenti §. 6. refert, dicit esse qualitatem: Sed virtus fluens, & incompleta, & quae est vera qualitas, physica est, & non moralis, ut de se patet: Ergo sacramenta novae legis, iuxta doctrinam D. Thomae, instrumentaliter physice concurrunt ad producendam gratiam.

Quarto, Idem S. Doctor in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 4. sic ait: Penitentia, ut est sacramentum, effluere tollit peccatum ex parte maculae, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, aufert nigredinem. Et secundum hoc penitentia, inquantum est sacramentum, peccata dimittit, quia sacramentum novae legis est causa instrumentalis gratiae, ut in prima distinctione dictum est. Sed inducens albedinem, aufert nigredinem effectivè physice: Ergo ex S. Thoma, sacramenta causant gratiam, & auferunt maculam animae, effectivè physice.

Quinto, juxta D. Thomam eodem modo philosophandum est de sacramentis novae legis, quantum ad efficientiam gratiae, ac de humanitate Christi: docet enim hic art. 5. quod cum Deus sit causa principalis gratiae, humanitas Christi instrumentum conjunctum, & sacramentum, instrumentum separatum, & per instrumentum conjunctum moveatur separatum, ut baculus per manum, oportet quod virtus salutifera à Divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur. Et quaest. 27. de verit. artic. 4. ad calcem corporis articuli, ait quod sacramenta participant aliquid de virtute illa, quae humanitas Christi instrumentaliter ad justificationem operatur, ratione ejus sanctificationis Baptismo, sanctificationis sanguine Christi dicitur ab Apostolo ad Hebraeos 10. At juxta eundem Sanctum Doctorem, Christi humanitas, non solum moraliter, sed etiam physice causat gratiam: Ergo & sacramenta novae legis. Minor probatur ex Divo Thoma supra quaest. 13. art. 2. ubi loquens de anima Christi, inquantum est instrumentum unitum Verbo, dicit quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quae conducunt ad finem incarnationis non tamen ad annihilationem, vel creationem. At si non loqueretur de instrumento physico, sed morali, evidens est quod non posset negare virtutem moralem ad creationem, vel annihilationem; nihil enim repugnat quod Christus impetrare possit annihilationem diaboli, vel creationem unius Angeli, vel animae ergo &c.

Item idem S. Doctor supra quaest. 48. distinguat aperte modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, à modo morali. In primo enim articulo determinat quod per modum meriti operata sit salutem; in secundo, per modum satisfactionis; in tertio, per modum sacrificii; in quarto per modum redemptionis, qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis: Ergo quando postea art. 5. determinat quod etiam per modum efficientiae operata sit salutem, tanquam Verbi instrumentum, manifestum est, ipsum loqui de efficientia physica, de morali enim quatuor praecedentibus articulis locutus fuerat.

Praeterea, cum Magister in 4. dist. 10. articulifet haec verba S. Ambrosij, quae etiam referuntur à Gratiano de consecratione dist. 2. Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret.

Tom. V.

ret, valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet: in expositione textus id declarat S. Thomas, dicens: *Locus est à minori: unde intelligendum est quod plus valeat sermo Christi, & in persona Christi prolatus: quia sermo Eliae in seipso non habebat virtutem aliquam, sed operabatur per modum intercessionis; sermo autem Christi habet virtutem intraneam, de qua supra dist. 8. dictum est: Cum ergo sermo Eliae habuerit virtutem moralem, moventem Deum ad patranda miracula, virtus Christi intranea verbis ejus, fuit virtus instrumentalis physica, ad patranda opera miraculosa, & gratiam producendam; & non solum moralis: juxta illud prophetae Psal. 67. Dabit voci suae vocem virtutis.*

Denique, D. Thomam causalitatem physicam in sacramentis novae legis admisit, eo manifestè patet, quod in 4. sent. dist. 4. quaest. 3. art. 2. quaest. 3. expressè docuit, Baptismum cum fictione susceptum, recedente fictione, producere gratiam, ratione characteris, in quo virtualiter remanet, & in quo tanquam in semine, ex sacramento praeterito relicta est virtus gratiae productiva. Verba ejus sunt: *Ad tertiam questionem dicendum, quod in Baptismo imprimatur character, quae est immediata causa disponens ad gratiam; & idè cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impendebat, character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur.* Ex hac, inquam, S. Thomae doctrina, manifestum relinquitur, ipsum causalitatem physicam in sacramentis novae legis agnovisse; si enim moralem tantum admisisset, non debuisset recurrere ad characterem, in quo virtus gratiae productiva, ex praecedenti sacramento relinqueretur, & in quo illud tanquam in semine virtualiter permaneat; nam causa duntaxat moralis potest moraliter operari, etiam quando non est, & licet nullam virtutem sui vicariam reliquerit. Videat ergo Bernal, an assertores influxus physici sacramentorum novae legis, qui eum S. Doctori tribuunt, sint ignorantes, inepti Philosophi, summe stupidi, & increduli oscitantiae: his enim praclaris encomiis Author ille, non solum Thomistas, sed etiam illustiores Societatis Theologos, qui physicam (ut supra ostendimus) sacramentorum novae legis causalitatem admittunt, loco supra citato extollit. Sed huic egregio Encomiasti respondere sufficit illud Proverb. 20. *Qui contumeliam proferit, insipiens est.*

§. V.

Causalitas physica sacramentorum novae legis, variis congruentiis suadetur.

Licet nulla possit dari ratio à priori, cur sacramenta novae legis instrumentaliter physice causent gratiam (hoc enim ex sola Dei voluntate pendet, quia voluitur instrumenta physica assumere, eisque vim instrumentalem gratiae productivam imprimere) variae tamen assignari possunt congruentiae, & rationes probabiles, quibus haec veritas suaderi potest.

Prima sumitur ex D. Thoma quaest. 27. de verit. art. 4. ubi docet quod opinio illa quae sacramentis novae legis causalitatem solum morale attribuit, non sufficienter salvat dignitatem illorum supra sacramenta veteris legis, nec nobiliorem causandi modum in illis quam in istis agnoscit; constat enim moralem causalitatem non defuisse